1766





DE STAPHYLOMATE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO SUE, Artium Liberalium nec-non Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio, & in Generali Parisiensi Præfecturâ Chirurgo ordinario, *tueri conabitur* ROCHUS-MARIA DUBERTRAND, *Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Artium liberalium Magister, & in nosocomio dicto* L'HÔTEL-DIEU *internus Chirurgus.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati trigesimâ primâ Maii, anno salutis 1766, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.

M. DCC. LXVI.

N



D. O. M.

THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.
DE STAPHYLOMATE.

NIHIL in hoc ſpectabili mundo pulchrius homine. Nihil in homine dignius, capite : nihil in capite vultu decentius ; nihil in vultu oculis elegantius & amabilius. Sic ad organi visûs demirationem gradatim nos adducit celeberrimus Anatomes Profeſſor *Riolanus* (*a*). Innumeris tamen ſæviſſimiſque morbis nonnunquàm diſcruciatur oculus. Ipſa ſola cornea infinitis poteſt affici malis. De non raro hujus-ce membranæ affectu, de Staphylomate acturi, permanens exigit conſuetudo Anatomicam partium ſaltem earum deſcriptionem, quæ vel tanquàm morbi ſedes habentur, vel huic maximè approximantur.

(*a*) Anthropog. Lib. IV, pag. 4, de oculo.

EX ANATOMIA.

Oculus, visûs organum, ſphæricum, in orbitâ ſitum, multiſque circum-vallatum partibus ipſius motibus inſervientibus, ipſumque vel à corporum extraneorum violentiâ, vel etiam ab aeris injuriis deffendentibus. Multiplicis ſunt generis illæ partes, externæ & internæ, communes & propriæ, duræ & molles. Externæ ſunt oſſa orbitam formantia, cutis, pinguedo, ſupercilia, palpebræque cum harum muſculis: internæ à nobis tantummodò deſcribendæ ad duas claſſes reducimus. 1°. Quædam inter orbitam & bulbum oculi offenduntur, quales ſunt glandula lacrymalis, & muſculi tùm directi, tùm obliqui; 2°. aliæ bulbum oculi unicè efformant, quales ſunt ipſius tunicæ, atque humores.

Glandula lacrymalis. In utriuſque orbitæ ſuperiore anterioreque parte propè angulum oculi minorem fovea eſt minimi digiti extremum admittens, quæ à glandulâ ex conglomeratarum genere *lacrymalis* dictâ occupatur. Hæc glandula plurimis aliis minimis efformatur in glomerem coactis, communique membranâ cinctis. Numeroſos ſingula habet excretorios rivos ſeſe invicem conjungentes, moxque in ſex vel octo exiles longoſque ductus deſinentes, in bobus quidem valdè apparentes, in homine vero vix conſpicuas. Ex his ſtillat rorida, pellucida, dulciſque lympha *lacrymarum* nomine cognita, lubrificando globo, corneæque glabritiei ac pelluciditati conſervandis maximè inſerviens. Poſteà verò per aperturas *puncta lacrymalia* dictas reſorbetur, & in ſaccum *lacrymalem* detruditur. Glandulæ lacrymalis vaſa *hygrophthalmica* cum autore Neoretico (*a*) vocare non dubitamus.

Muſculi oculi. Sex muſculis gaudet oculus, quatuor rectis & duobus obliquis. Cuique recto peculiare nomen eſt. Superior ſuperbus vel attollens, inferior deprimens ſive humilis, interior adducens vel bibitorius, exterior denique abducens ſive indignatorius. Ab oſſeâ orbitæ circumferentiâ foraminis nervo optico tranſitum præbentis propè centrum naſcuntur omnes, & in corneam deſinit quiſque per tendinem gracilem & aponevroticum: ſic à parte hujus foraminis ſuperiori natus ſuperbus muſculus, in partem corneæ ſuperiorem ſuâ alterâ

(*a*) *Eſſais anatomiques de Lieutaud, pag.* 123.

extremitate definit ; sic à parte hujus foraminis inferiori natus humilis musculus in partem corneæ inferiorem suâ alterâ extremitate definit. Duo postremi musculi adductor scilicet & abductor ab unâ quâque parte laterali incedentes duos oculorum angulos petunt, nempè primus majorem angulum, & secundus minorem. Musculi oculi obliqui numero duo, magnus & parvus. Ille qui trochleator etiam vocatur à parte laterali & internâ orbitæ venit, ad partem majoris anguli superiorem sensim progreditur, & in hoc loco per tendinem definit qui annularem cartilaginem trochleam dictum sub-actus, versùs minorem angulum prope musculum abductorem suam habet insertionem. Hic à parte inferiore & exteriore orbitæ progrediens suprà duorum maxillæ superioris ossium unionem, partem corneæ inferiorem tegit, suumque in eâ finem invenit propè minorem oculi angulum.

Globi Oculi descriptio.

Omni ipsum involvente parte spoliatus oculi globus, tanquàm massa solida tunicis & humoribus constans consideratur. Tunicæ numero tres : harum exterior scleroticæ vel corneæ, media choroideæ vel uveæ, posterior tandem retinæ nomine salutatur. Humores quoque tres : primus aqueus, secundus crystallinus, tertius vitreus dicitur.

Cornea.

Membrana cornea dicta aliis crassior duas in partes dividitur, nempè in posteriorem, majorem, corneam opacam vel potiùs scleroticam nuncupatam, & in anteriorem, minorem, corneæ pellucidæ nomine insignitam. Prima densa, albicans, compacta structuram ferè inextricabilem exhibet : eò magis decrescit hujus crassities, quò plus ad partem oculi anteriorem progreditur. Plurimis quoque vasis tum sanguiferis, tum nerveis perforatur ipsius substantia. Secunda sive cornea pellucida plurimis lamellis arte facili separabilibus conflata (*a*), quamvis opacæ series, textum tamen longè diversum habet, & ea certè fuit causa cur illam tunicam particularem quidam dixerint in sulcatâ scleroticæ periphæriâ per commissuram tantùm receptam, ita ut duæ illæ membranæ sint contiguæ, non verò continuæ. Hujus-ce opinionis tùm deffensione, tùm oppugnatione omissâ, experientia solus sit judex. Si in aquâ communi macerandus per plures dies relinquatur oculus integer, posteà vero fervidissimam immergatur in aquam per aliquot horæ secundas, cor-

(*a*) Academ. prælect. *Boerrhave*, tom. IV. pag. 272.

neæ ſeparatio à ſcleroticâ ſtatim vel ſaltem poſt breviſſimum tempus fit, nec ulli in hâc obſervantur ſulci: unde concludi poteſt unionem corneæ cum ſcleroticâ per ſulcos non fieri. Innumeri ſunt in corneâ pellucidâ pori ex quibus limpidiſſimus ſtillat humor levem ſemper humectans hujus membranæ ſuperficiem internam (*a*). A durâ matre nervum opticum involvente, & in membranam rursùs expansâ ſuam ducere originem ſcleroticam uno ferè ore aſſerunt Anatomici (*b*).

Choroidea. CHOROIDEA ſecunda oculi tunica in duas abit lamellas quæ, teſte *Hallero* (*c*) non niſi poſt diuturniorem in aquâ communi macerationem à ſe ipſis in homine ſeparari poſſunt. Exterior lamella poſteàquam internam ſcleroticæ ſuperficiem ambiit, vix versùs corneæ pellucidæ marginem devenit, cum ſcleroticæ firmiter annectitur per faſciolam quaſi aliquam, inæqualis latitudinis, ut primus obſervavit *Winſlow* (*d*), ligamentum ciliare à pleriſque & plexus ciliaris à quibuſdam dictam. Choroidea hoc in loco à ſcleroticâ ſecedit, & in modum ſepti tranſverſi replicata telam efformat in medio circiter foramine rotundo (cui pupillæ nomen impoſitum) perforatam. Anterior telæ hujuſ-ce ſuperficies iridem refert variis diſtinctam coloribus quorum origo nondum cognoſcitur; poſterior vero fuſco nigreſcente humore illita fibras radiatim diſpoſitas proceſſuſque ciliares dictas exhibet. In cujuſque proceſſûs duplicaturâ ſubtiliſſimum deprehenditur rete vaſculoſum. Pupillam modò dilatari, modò contrahi quis nunc ignorat? Duplex ergo debet adeſſe muſcularis potentia, alia dilatans, alia contrahens; corneæ ergo debent adeſſe fibræ ad hos motus abſolutè neceſſariæ. Horum tamen exiſtentiam *Meryus* (*e*), *Morgagnius* (*f*), *Hallerus* (*g*), negaverunt. Attentè vero cuique conſideranti facilè apparent, illaſque tandem in bove vidiſſe, atque etiam ſuis clarè demonſtraſſe auditoribus aſſerit medicus, & ophtalmiater peritiſſimus *Mauchart* (*h*).

(*a*) Vid. Act. Reg. Scient. Academ. an. 1721, pag. 310.
(*b*) Conf. de Corneæ Struct. Reg. Scient. Acad. Act. an. 1741.
(*c*) Vid. *Boerrhave*, Prælectiones Academ. tom. IV. pag. 144.
(*d*) Vid. Act. Reg. Scient. Academ. an. 1721, pag. 310.
(*e*) Vid. Act. Reg. Scient. Academ. an. 1721, pag. 310.
(*f*) In iiſdem Act. an. 1704, pag. 352, §. 2, edit. Amſt.
(*g*) Adverſ. Anat. *6*, animadv. *69*, pag. 88.
(*h*) In Prælect. jam cit. vol. 4, p. 146, not. 2.

Ultima oculi tunica five retina fic ab *Herophilo* (*a*) primùm nominata nihil aliud eft quàm nervi optici expanfio. Eo enim è cranio egreffo, & in orbitam ingreffo, bulbum oculi interiùs penetrat, & in quemdam globulum five papulam definere videtur, ex cujus periphæriâ nafcitur retina per infenfibilia filamenta fuâ tunicâ fpoliata, pulpamque medullarem efformantia quæ totum orbitæ cavitatis fundum induit, & ad ligamentum ciliare definit (*b*), quanquàm annotante Celeberrimo *Winflow* (*c*), inter proceffus ciliares ufque ad lentis cryftallinæ circumferentiam progrediatur. *Retina.*

Ex trrbus in interiore bulbi oculi parte contentis humoribus anteriorem partem aqueus, mediam cryftallinus, pofteriorem denique vitreus occupat. Aqueus humor limpidus, pellucidus, fine capfulâ, faporifque nec-non odoris expers, fpatium cryftallinum inter & corneam pofitum adimplet, in duas vulgò cameras divifum, anteriorem nempè præ uveam, pofteriorem ponè uveam occurentem. Cameras illas æquales quidam immeritò fuppofuerunt (*d*), cùm anteriorem quadruplo majorem effe probetur, adeoque minimam effe pofteriorem. Alii funt autores (*e*) pauciffimi quidem, qui ultimæ hujuf-ce cameræ exiftentiam omninò negant, uveam cryftallinæ lenti immediatè applicari contendentes. Nobis vero fi certis plurimorum Autorum obfervationibus propriam fuperaddere liceat experientiam, hanc femper nos obfervaffe & perfpicaciffimè diftinxiffe lubenter afferimus (*f*). Continuò & indefinenter renovatur humor aqueus, ipfiufque diftillationem ac reforbtionem plurimæ demonftrant experientiæ: fed quænam fint vafa tale fluidum vehentia aut reforbentia determinare, quânam arte Mechanicâ vafa munus venarum implentia illud reforbeant affignare, hoc opus, hic labor eft, & in hujus fonte quærendo fagaciffimi quanquàm hucufquè multùm defudaverint Anatomici, certam hujus derivationem nullus *Humor aqueus.*

(*a*) Vid. ejus de Mydriafi thefim in *Halleri* felectis difput. tom. I.

(*b*) Hanc nobis fuppeditavit explicationem *Heifteri* Anatomia edit. Gallica pag. 693.

(*c*) Loc. cit. §. 223.

(*d*) *Heifter* compend. Anat. not. 51, pag. 96. *Petit* Act. Reg. Scient. Academ. an. 1722 & 28.

(*e*) *Lieutaud*, *Effais Anatomiques*, pag. 151 & feq. *Winflow* Act. Reg. Scient. Acad. an. 1721.

(*f*) Clarif. *Sue* Scholarum Profeffor Anat. in fuis prælectionibus hanc femper evidentiffimè demonftrat cameram.

adhuc pronunciare potuit, alii à glandulis, alii ope arteriarum ſanguiferarum, alii denique ab arteriis ciliaribus hoc ſecerni exiſtimantes. Nos vero cum celeberrimo *Hallero* arbitramur (& hæc eſt probabilior atque etiam certior opinio) in proceſſibus ciliaribus aptiſſima adeſſe quædam vaſcula, hujuſ-ce liquoris generationi ac ſecretioni inſervientia.

Cryſtallinus. HUMORUM oculi ſecundus cryſtallinus, corpus pellucidum, lenticulare, ponè uveam ſedem habet, ipſoque pupillæ centro reſpondet. Hujus colorem & conſiſtentiam pro diverſâ ætate differre ex obſervationibus clar. *Petit* conſtat (*a*). Hujus vero ſtructura interna vix adhuc cognoſcitur. Ex lamellis pellucidiſſimis, vaſculoſis, concentricis, eâdemque ratione diſpoſitis, ac diverſa ſtrata quibus capæ fiunt, hunc componi humorem probant factæ hucuſquè experientiæ. Celeberrimi *Boerrhave* hæc ſunt verba (*b*) : *lens optimè depurata detineatur in aquâ fervente : cruſta externa alba fiet, fibroſa, & opaca. Deglubatur aciculâ lentè & patienter : adhibeatur microſcopium. Secedet tota in pelliculas infinitè tenues, concentricas quarum una poſt alteram ſeparari poterit, omnes autem reticulatis nexibus conjunctæ erunt.* Exteriora cryſtallini ſtrata molliora eſſe *Morgagnius* quoquè contendit (*c*) : qui quidem vidit humorem aqueum, incisâ tunicâ cryſtalloide, in vitulis, bobus, & in ipſomet homine prodeuntem. Tenui includitur capſulâ lens cryſtallina, membranaceâ, duabuſque tunicæ vitreæ lamellis efformatâ : anterior craſſior, & quaſi elaſtica per macerationem in aquâ tumeſcit, tuncque videtur duas habere pelliculas textu ſpongioſo delicatiſſimo nec-non intricatiſſimo ſimul junctas.

Vitreus. TERTIUS globi oculi humor vitreus, liquor gelatinoſus, limpidiſſimus, in capſulâ tenuiſſimâ ac pellucidâ tunicæ vitreæ nomine gaudenti incluſus, poſteriorem majoremque bulbi partem occupat. Exteriùs habet duas lamellas intimè inter ſe adhærentes, omnem maſſam poſteriùs & in totâ ſuâ periphæriâ involventes, retinæque uſque ad magnam coronæ ciliaris circumferentiam immediatè applicatas. Ab hâc vero coronâ uſque ad foveam cryſtallinæ lenti excipiendæ deſtinatam in tunicâ vitreâ ſulci deteguntur per viſum plurimi ra-

(*a*) Loco jam pluries citato.
(*b*) Vid. Prælect. ejus Academ. tom. IV. pag. 188.
(*c*) Adverſ. Anat. tom. VI. pag. 90.

diatim diſpoſiti, fuſco nigreſcente humore repleti, ciliaribuſque proceſſibus aptè reſpondentes. Tunicæ vitreæ ambæ lamellæ tunc à ſe invicem diſcedunt, foveamque modò memoratam conſtituunt. Lamella autem interna in omnem maſſæ vitreæ ſubſtantiam reflectitur, infinitaſque producit cellulas humore limpidiſſimo repletas. Hæc eſt cellularis corporis vitrei ſtructura à *Riolano* primùm excogitata (*a*). *Per ſubſtantiam humoris vitrei*, inquit, *diffunditur tunica hyaloides, cujus interjectu concretus apparet, nec fluidus redditur, niſi frequenti ſectione ſolutis filamentis, tunc in aquam fluentem liqueſcit.* Quæ ut demonſtretur ſtructura, in liquorem leviter aceſcentem, virtuteque coagulanti pollentem immergendus humor vitreus nuperrimè ſeparatus, vel gelu exponendus, quod melius ac certius quibuſdam videtur. *Tunc enim*, inquit *Hallerus* (*b*), *in minores abit cryſtallos ille humor, quos ſummâ aciculâ à ſe invicem ſeparare non eſt impoſſibile.*

Vasa plurima tùm ſanguinea, tùm nervea, atque etiam lymphatica globum oculi ſubeunt, variiſque ipſius partibus impertiuntur. Arteriæ à carotide internâ originem ſuam trahunt. Ea enim è ſinu cavernoſo egreſſa nonnullos ſuppeditat ramos nervum opticum concomitantes, globumque penetrantes ad omnium illius partium nutritionem. Ex ultimis illorum ramuſculis verticoſa fiunt choroidis vaſa, circulique arterioſi ponè uveam conſpiciendi, quorum alter ligamento ciliari, alter pupillæ diſtribuitur. Venæ jugulares externæ totidem venas ab ophtalmico ſinu oriundas prædictiſque reſpondentes arteriis excipiunt. Venæ à globo venientes in calvariam per orbitæ fundum penetrant, ſanguinemque ſuum in orbitares ſinus cum cavernoſis communicantes fundunt. Inter omnes oculorum nervos maximus certe & ampliſſimus opticus. Globum perforat in ſuâ parte poſteriori propè ipſius axim. Primam ſuam tunicam à durâ matre natam ſcleroticæ originem, ſecundam à piâ matre productam choroideæ originem, pulpoſæ denique illius ſubſtantiæ expanſionem retinæ originem eſſe vulgò creditur. Alia ſunt nervea filamenta à tertio pari, & ophtalmico ramo prodeuntia, quæ, perforatâ ſcleroticâ, evidentiſſimè in uveam progrediuntur, plexumque ciliarem brevi efformant. Globi muſculus elevator, depreſſor, *Oculi vaſa.*

(*a*) Anthrop. Lib. IV. pag. 273.
(*b*) Loco jam citato tom. IV. pag. 198.

adductor, parvus obliquus à tertio pari suos accipiunt nervos. Magnus obliquus totam quartum parem solus habet. In superciliares musculos serpit ramus ophtalmicus qui palpebrarum orbiculari, nec non glandulæ lacrymali nonnullos dat etiam ramos. A sexto pari nervum recipit abductor.

E CHIRURGIA.

Etymologia Staphylomatis.

Hæc est verbi Staphylomatis etymologia : σταφύλωμα τὸ derivatur à σταφυλή, id est, uva. Hinc latini affectum Staphylomatis vocant uvationem, eò quod protuberans cornea sæpiùs baccam uvæ minorem æmulatur. Sic definimus Staphiloma per speciei synecdochen cum Clar. (*a*) *David Mauchart. Staphyloma est tumor ut plurimùm mollis, membranaceus, extùs vel in corneâ, vel in scleroticâ protuberans, ortus sive ex harum tunicarum præter naturam attenuatarum elevatione, protrusione, ac distensione per humorem aqueum solum, vel per & impulsam uveam, sive ab earumdem tunicarum plenariâ perforatione, vel per hanc factâ tunicæ uveæ eruptione, magnitudine, figurâ, colore, numero, atque simpthomatibus varius, corneam denique, bulbumque ocularium, atque ipsum etiam visum vario modo nonnunquàm lædens ac destruens.* Ex hâc definitione simplicem corneæ dilatationem vel herniam non esse Staphyloma facilè intelligitur : sæpe sæpiùs è contra fieri videmus in hunc corneæ tumorem impelli uveam, foràsque eliminari, quod unanimi voce pronunciant omnes ferè Autores tum veteres, tum recentiores, ut in dissertatione jam laudatâ videre est.

Definitio.

Sunt tamen quidam Autores à generali aberrantes opinione, inter quos præcipuus D. *Guntz* (*b*), quique nequidem verisimile esse contendunt uveam ligamentis fixam & annexam in corneam incidere posse, vel per aperturam in hâc existentem exire. Hunc litem tanquam diremptum nobis habere fas sit, & Staphylomatis species ac differentiæ quænam sint enucleemus (*c*).

Species ac differentiæ.

Plurimæ sunt Staphylomatis species ac differentiæ : modo enim in corneâ, modo in scleroticâ suam habet sedem : divi-

(*a*) In Collect. Thesium *Halleri* pag. 511, tom. I.
(*b*) In Disput. selectis *Halleri*, tom. I.
(*c*) Præterea omnes quæ huic particulari opinioni opponi possunt rationes clarissimè exponuntur perdoctâ in disputatione jam citatâ D. *Mauchart.*

ditur

ditur etiam in partiale & totale, ſimplex & compoſitum; recens & vetus, benignum & malignum, ſolitarium & complicatum, clauſum deniquè & apertum. Dicitur Staphyloma clauſum quandò corneæ tunc aquam vel uveæ portionem continentis dilatatione formatur, nec adeſt in eâ apertura; dicitur apertum quando adeſt in corneâ apertura per quam vel humor, vel uvea extùs cernitur. Diſtinguitur adhuc Staphyloma ratione magnitudinis in myocephalon muſcæ caput referens, in Staphyloma propriè dictum acinum uvæ naſcentem minorem æmulans, in melon ſive malum, quandò ita magnum ut palpebris contineri ac obtegi non poſſit; in elon denique ſive clavum, quandò horrendo ſpectaculo in globum fœdiſſimamque maſſam accretum calloſâ duritie imprimis diſcriminatur. Differt adhuc Staphyloma ratione figuræ, coloris, & craſſitiei: ratione figuræ eſt tumor vel hemi-ſphæricus, vel ſphæricus, vel plano convexus, vel conicus, vel gibboſus, vel anguloſus; ratione coloris diaphanus eſt tumor, quandò corneæ lamellæ naturalem ſuam ſervaverunt pelluciditatem, ad cyaneum è contra vergit colorem, quandò ulceroſa aut cicatrice obducta fuit cornea; Reſpectu craſſitiei, ſi-quidem Staphylomatis clauſi craſſities plerumquè tenuis eſt, & aliquandò, prægreſſâ, verbi gratiâ, ulceratione, & efformatâ dein cicatrice, denſior evadit: multò autem adhuc compactior fit, ſi, ut in leucomate non raro evenit, corneæ lamellis inniduletur humor gelatinoſus. Craſſities Staphylomatis aperti maxima ſemper eſt, ſiquidem, prolapſâ foràs uveâ, inſolitam brevi contrahat duritiem, craſſiſſimumque degeneret in concrementum.

Ad omnia quæ totam corneam, vel quandam tantummodò hujus partem debilitare & attenuare poſſunt, qualia ſunt generatim inflammationes, ictus, lapſus, vulnera, ulcera, abſceſſus, & alia, præcipuæ referendæ ſunt Staphylomatis cauſæ. In internas tamen & externas vulgò dividuntur. Priores ſunt præter modò enumeratas ophtalmiæ, & diverſorum remediorum acriorum, verbi gratiâ, ſepticorum, atque etiam cathereticorum indiſcreta & intempeſtiva quibuſdam in oculorum morbis applicatio (*a*). Poſteriores cauſæ ſive internæ ſunt quædam humorum vitia, plethora, virus venereum, va- *Cauſæ.*

(*a*) Puellam ſe vidiſſe refert Clar. *Guntz* in cujus corneâ per exedentium medicamentorum uſum natum eſt Staphyloma quæ agyrtam ad extenuandam cicatricem negligentiùs adhibuerat.

B

riolæ, pustulæ : quapropter etiam frequens pueris hoc malum esse solet, quorum corneæ, dum variolis laborabant, pustula insedit, præcipuè si, quod nostris mulierculis sæpè sæpiùs evenit, variis oculus medicaminibus fatigatus & irritatus fuerit. Incipiens verò aut jam formatum Staphyloma à vehementi vel frequenti sternutatione, tussi, vomituque subitaneum potest sumere incrementum, tuncque vel lamellis corneæ jam tùm attenuatis ruptura aut crepatura induci, vel major prolapsæ uveæ pars protrudi. Quæ à corneâ per albuginem sensim laxatâ proveniunt Staphylomata rarissima quidem sunt; sed multò adhuc rarius scleroticæ membranæ Staphyloma, tùm propter hujus densitatem ac firmitatem minoremque convexitatem, tùm propter albugineæ tunicæ & tendinum musculorum oculi superjacentium robur, fortioremque choroideæ adhæsionem. Reliquas non solum res naturales, sed etiam non naturales, tanquàm Staphylomatis proegumenas & procatarcticas causas habitas eò lubentius præterimus, quod nonnisi è longinquo & per intermedias plures alias causas ad Staphyloma producendum concurrant. Sed duæ sunt semper existentes hujus morbi causæ, alia lamellarum corneæ attenuatio ac debilitatio, altera humoris aquei vel uveæ à tergo propulsio quâ cedere cogitur cornea, & in gibbum protuberare. His duabus absentibus causis, non posse evenire Staphyloma quis non videt? Si enim non attenuatur cornea, non etiam attolletur; si vero, etiamsi attenuata non attollatur, quod fit quando à tergo ab humore aqueo vel uveâ non premitur, in gibbum nunquàm protrudet ad Staphyloma producendum; subsidebit hæc potius, aut solâ tali attenuatione complanabitur.

Diagnosticum. Signa Staphylomatis tùm aperti, tùm clausi non sunt æquivoca. Quæ hunc morbum plærumquè concomitantur phenomena, hæc sunt : ophtalmia modò levis, modò gravior, in aliis constans, in aliis periodica, vehementissima nonnunquàm, & maximè dolorifica. Vix lumen sustinet oculus affectus, sæpèque etiam omnino deletur visionis sensus, quod à corneâ plus minus-ve opacatâ, cicatrisatâ, vel uveæ distractione dependet. Agrypniâ, lateris affecti hemicraniâ, palpebram movendi impotentiâ, illacrymatione tandem serosâ, vel fluxu sanioso nonnunquàm laborat æger. Phenomenum vero Staphylomatis maximè constitutivum in corneæ tumore, elevatione, vel protuberantiâ poni uno ferè ore consentiunt Autores. Notandum

verò, & hæc eſt D. *Mauchart* obſervatio, quod in caſu rupturæ ac patentioris corneæ inflicti foraminis procidens uvea tumorem quidem ſuprà corneam efficiat, tunc verò ipſa cornea frequenter collapſa ſit atque corrugata, effuſo jugiter per illud vulnus humore aqueo, qui fornicem corneæ naturaliter ſuſtinere debet.

Diversos inter oculum afficientes morbos nonnulli ſunt qui cum Staphylomate facilè confundi poſſunt. Talis eſt hydrophtalmia ſive oculi hydrops in quo morbo cornea quoque ſicut in Staphylomate prominet: ſed hæc eſt differentia ſpecialis, nempè quod in priori morbo æqualiter promineat cornea, & in totâ ſuâ periphæriâ diſtendatur, in poſteriori verò morbo contrarium fiat, cum limitetur tumor, næc plærumque totam occupet corneam. Præterea rariſſimè hydrophtalmiæ, ſæpiſſimè autem Staphylomati jungitur ophtalmia. Ut paralampſis à Staphylomate diſtinguatur, illius morbi definitionem innoteſcere ſufficit, ſiquidem paralampſis cum ſit macula corneæ reſplendens, elata, omnemque luminis radiis tranſitum præcludens, cum anteà datâ Staphylomatis definitione nullo modo conſonat. Peculiares aliorum oculi morborum differentias cum Staphylomate omittendas cenſemus, tùm quod prolixius de his ſequeretur ſermo, tùm quod propria ſinguli habeant ſympthomata quæ cum Staphylomatis ſympthomatibus minimè reſpondent.

Prognoſticum.

Quò graviora ſunt Staphylomata, eò periculoſiora: ſed generatim dici poteſt omne Staphyloma ſimplex ſine ullo pro viſu periculo eſſe, atque etiam ſine ullo dolore. Non idem eſt quando ſimul afficitur tunica adnata. Tunc enim venæ ampliatæ tument, & inflammatio, atque interdùm unguis aut pterygium vel pannus ſupervenire ſolent. Minimum periculi habet Staphyloma quod exiguam tantùm aliquam corneæ partem occupat, præcipuè ſi non in ipſo pupillæ loco adſit. Staphyloma & per ſe, & quando ablatum eſt, viſui parùm nocet. Neglectum verò graves excitat ophtalmias cæcitatem brevi procreantes, ſi ad interiora penetrent, & creſcere Staphyloma facientes, vel in ulcus malignum degenerare, unde ſequitur globi oculi eroſio. Staphylomata magna, totumque ferè oculum occupantia viſum plærumquè omninò deſtruunt, nec arte curari poſſunt. Fit interdùm ut oculus rumpatur, ex quo immedicabile naſci ſolet carcinoma.

Curatio.

In radicalem & palliativam primò poteſt dividi Staphylo-

matis curatio. Curationem palliativam obtinebit Chirurgus, si impediat ne protuberantia augeat, si corneæ crepaturam præveniat, ulcerosam exsiccet manationem, humorem denique cancrosum limitet. Ad curationem radicalem plura sunt implenda munera: corneæ vel scleroticæ protuberantia delenda, suaque huic membranæ naturalis restituenda convexitas, prolapsæ partes, si quæ sint, quàm primùm reponendæ; vel si reponi non possint, septicis, forfice, aut ligaturâ extirpandæ, corneæ vulnus consolidandum, ad ultimum denique mali gradum cornea vel sclerotica incidenda, humores evacuandi, & dehinc oculus artificialis applicandus; ad hanc duplicem Staphylomatis curationis speciem ut perveniatur, tria sunt media amica sibique manus præbentia, nempè diœta, Pharmacia, & Chirurgia. His adhibitis vel simul vel separatim pro diverso casu, modò enumeratæ implentur indicationes. Certum tamen est majus tutiusque adversùs omnia ferè Staphylomata periti in manu Chirurgi fortioribus quàm in medicamentis præsidium esse. Necessarium autem ut in Staphylomatis curatione pertractandâ ordinem servemus, anteàquam media explicemus Chirurgica, examinandum primò nùm reverâ medicamentis & quibus-nam Staphyloma posset curari.

Curatio quæsit per medicamenta.

Ad primæ quæstionis solutionem certâ ex diversorum Autorum observatione apparere dicemus per quædam medicamenta quasdam quoquè Staphylomatis species curari posse. Sic inter veteres *Galenus* cantharidum succo oculum affectum illinere jubet, & quidem cum successu (*a*): ipsum *Nonus* sequitur (*b*), & *Actuarius* (*c*): *Alexander* medicamentum commendat quod chalcitidem habet (*d*): collyriorum in quibus æs ustum ingreditur, cadmia, & quæ exedunt corpus alia suadent *Paulus Ægineta* (*e*), pariter ac *Guido de Cauliaco*, & *Valescus de Taranta*. Inter recentiores Autores ligni sancti fructus immaturos, contusos, & oculo affecto applicatos præscribit *Fabricius ab Aquapendente* (*f*). Huc pertinent fomenta atque collyria à *Plempio* laudata (*g*), aquaque aluminosa ab

(*a*) De Compos. Medic. sec. loc. lib. IV. cap. 8.
(*b*) De Partic. morb. curat. cap. 57.
(*c*) Loc. cit. lib. VI. cap. 5.
(*d*) Lib. II. cap. 6, p. 152.
(*e*) Lib. III. cap. 22.
(*f*) Loc. cit. pag. 25.
(*g*) Ophtalmogr. lib. V. cap. 22.

Antonio Maître-Jean (*a*) & *Heistero* proposita (*b*). Sæpè jam citatus *Guntz* scribit tutissimam nec-non certissimam Staphyloma myocephalon dictum & aliquam tantùm corneæ dilatatæ partem occupans curandi rationem esse eam quam à D. *de Saint-Yves* Parisino oculario & præceptore suo accepisse dicit (*c*), & quæ sic se habet : in summo Staphylomati lapis infernalis admovetur, idque iterùm & tertiò repetitur, donec per hunc levis aliqua moveatur supuratio, tunicis laxatis cornea se contrahat, ac deniquè tumor primò imminutus, exiguâ quâdam cicatrice inductâ, tandem totus tollatur. Per hanc curationem homini videndi facultatem propemodùm planè redditam fuisse addit idem Autor.

Medicamenta acria, septica, & caustica qualia veteres atque nonnulli recentiores Staphylomati applicari jusserunt ad illud consumendum & extirpandum, valde dubia si non periculosa censemus. Suspensâ certè manu, magnâque cum cautione, & non-nisi in minoribus Staphylomatibus, absente etiam graviori ophtalmiâ, & acri vel cancrosâ humorum colluvie adhiberi debent. In hoc quoquè casu cum D. *Mauchart* quasi universali & majori applausu recepta anteponenda judicamus medicamenta tonica vel adstringentia in formâ pulveris, balsami, unguenti, mucilaginis, collyrii humidi, decocti, vel alio quocumque modo præparata, quæ & tunicas corneæ vel scleroticæ laxatas, attenuatas, crepaturæque proximas, & partes è tunicis ruptis prolapsas roborent, contrahant, ac propellant. Alumen crudum, lapis hæmatit. Sanguis draconis, succus simphyti recenter expressus, & similia medicamenta valdè utilia esse possunt, dummodò tempore, usu, locoque debito adhibeantur. Hæc autem omnia hucusquè laudata remedia in illo potissimùm valent Staphylomate à solâ lamellarum corneæ dilatatione, nimiâque illarum expansione dependente, vel in quo post peractam uveæ repositionem parva superest apertura quam arctiùs contrahere necesse est, novus ut præcaveatur uveæ prolapsus.

Media tutiora, certiora, è Chirurgiâ desumpta tria sunt nempe compressio, ligatura, & ferrum. Compressionem à *Curatio quæsita per compressionem.*

(*a*) Traité des Maladies des Yeux, p. 446.
(*b*) Inst. Chir. de Staph.
(*c*) Mirandum certè quod D. *de Saint-Yves* de usu lapidis infernalis contrà Staphyloma in suo de oculorum morbis libro nihil dicat, & ulceribus tantùm in tarsis palpebrarum eum affricet, p. 220.

Jesu Hali filio inventam fuisse sciendum : *Voolhousius* ait se omnes Staphylomatis species cum visûs instauratione per compressionem curare in infantibus, aliisque omnibus qui ad annos pubertatis nondum pervenerint. Existimat Clar. *de la Faye* (*a*) Staphylomate laborantibus compressione optimè succurri. Nos etiam compressionem utilem censemus sive ad quædam tollenda Staphylomata, sive ad aliorum augmentum impediendum, inutilem verò vel potiùs nocivam in Staphylomatibus ad proximam mox degeneraturis ulcerationem, & quorum attenuatæ tunicæ crepaturam minitant. Idem statuendum de iis qui cum viru quodam, vel perpetuo humorum fluxu conjunguntur. Locum etiam non habet compressio contrà partem uveæ prolapsam, quæ sic periculosè contunderetur, sed adhiberi potest post ipsius reductionem, uti posteà dicemus. A compressione denique sedulò abstinendum magno in Staphylomate, clauso, totali, inveterato, & occallescentibus ejus lamellis. Duplex est Staphyloma comprimendi methodus, siquidem potest fieri compressio vel simpliciter cum spleniis longitudine & latitudine diversis, & per fasciam contentis, vel compositè cum machinis aut instrumentis quibusdam ab Autoribus inventis & huic operationi idoneis. Sic perficitur prior compressionis methodus per sola splenia. Applicatur primò super oculum affectum lamina plumbea, ita figurata ut nimis comprimi non possit oculus : deinde imponuntur splenia quæ triangularia esse debent, è quadruplicato linteo complicata, & alia aliis majora. Post splenia circum-ducitur pars fasciatione quæ audit simplex vel duplex oculus, & sic applicari debet ut sufficienter & debito loco premat fascia. Mutatur hæc deligatio pro symptomatum & circumstantiarum ratione vel per trihoria, vel per sihoria, vel & tardiùs.

Compressio per machinas.

Posterior compressionis in Staphylomate methodus per machinas ea est præcipuè quam invenit *Voolhousius*, & vocavit *remboitement*. His mediis & hoc modo suam celebrat methodum. Capsulam habet hemisphæriam è cornu, plumbo, argento, auro-ve tornatam, & oculi tùm diametri, tùm convexitati respondentem. Anteàquam illam applicet, mucilagine vel unguento convenienti illam irrorat. Palpebris tunc satis deductis, parti protuberanti placidè admovetur, ità ut hanc ingrediatur oculus : palpebræ postea desuper clauduntur, sple-

(*a*) Remarques sur *Dionis*, pag. 547.

niisque obteguntur fasciâ contentis. Hæc methodus magnâ cum cautione adhibenda, siquidem, ut ingenuè notavit ipse *Voolhousius* (*a*), ex solidorum atque durorum ejusmodi corporum immediatâ impositione gravissima sequi possunt accidentia. Non potest autem tutò adhiberi compressio sive per sola splenia sive per machinas quin anteà reponatur uvea, si prolapsa fuerit. In hoc casu hæc est hanc membranam reponendi via. Ægri capite in declive inclinato, palpebram eo in loco parti prolapsæ subtùs respondente leniter digitis fricat Chirurgus, quod sæpè sufficit ad reductionem, vel specillo tenui è corneâ vel balænariâ virgâ facto, & apicem levissimè flexum ac latum habente placidissimè retruditur uvea, & intrà primæ oculi cameræ cavum reponitur. Sæpe autem fit nimis angustum esse corneæ vulnus aut foramen ut reponi possit uvea. Scalpello falcato tunc ampliandum est illud vulnus; sed incisio celebranda in illo vulneris angulo vel latere quod plagam non deducat, neque versus corneæ centrum, neque in corneæ circulum, quoniam in priori loco consolidatâ plagâ, opaca quæ remaneret cicatrix visui noceret, & in posteriori loco separatio uveæ à corneâ vel scleroticâ, aut supuratio interna, vel hippus iridis sequerentur, quod accuratè vitandum. Dilatatione factâ, reducitur uvea, ut dicebamus modo. Si labia vulneratæ vel ruptæ corneæ callosa sint, hæc scalpello vel subtilioris xystri vegetabilis ope scarificanda.

Reducta tandem uveâ labiis corneæ vulneratæ frustulum vesicæ bracteatorum auri imponendum, collyrio ex albumine ovi cum radicis simphyti succo priùs imbutum. Compressio deinde mediis suprà recensitis adhibetur, donec novella consolidati vulneris cicatrix penitùs confirmata fuerit. Duobus mediis curativis, id est, medicamentis & compressioni modò propositis cedere Staphyloma rarum est, sæpè que ad operationem quâ illud extirpatur veniendum. Quæ quidem operatio duobus fieri potest modis, nempè ligaturâ & incisione.

Staphylomatis curatio per ligaturam.

Ex veterum scriptis dijudicare facillimum est ligaturam illos in Staphylomate extirpando incisioni anteponere, scalpello adhibito humores omnes oculi sine ullâ horum reparatione effluere debere existimantes. In ligando Staphylomate acum & filum plurimi adhibebant: quidam tamen Staphyloma

(*a*) Differt. Ophtalm. p. 340.

mori cogebant flaccidumque decidere filo ſine acu injecto, & nodo ſenſim conſtricto. Primus hanc propoſuiſſe methodum videtur *Guido de Cauliaco*. Plures ne linum quo duplici utebantur effugeret, cum eo acum per imam medii Staphylomatis partem trajiciebant, ejuſque duo capita ex ſuperiore, & alia duo ex inferiore parte inter ſe adſtrinxerunt. Hæc erat *Celſi* methodus. Sed *Aetius* cum quo Græci & Arabes ferè omnes conſentiunt, & *Paulus Ægineta* in magno tumore hæc non ſufficere rati, juſſerunt priùs aliam acum ad ipſas radices per medium tumorem ab inferiore parte versùs ſuperiorem trajicere, tumque aliâ acu duo lina ducente verſus angulos oculorum tranſuere, & quæ modo dicta ſunt perficere. Ex tribus his auxiliorum generibus primum utile eſſe poſſe, & quidem cum ſucceſſu adhiberi non diffitemur; ſed de duobus aliis idem non ſentimus, eò quod inflammationes, dolores, ophtalmias graves ſæpiſſimè excitant (*a*). Accedit præterea quod cum magno oculi detrimento uvea poſteriorem corneæ partem occupans per acum transfigi poſſit. A quodam Chirurgo Staphylomatis operationem ad *Celſi* modum dexterrimè celebratam vidit *Antonius Maître-Jean*; poſtquam elapſo ad diem nonum Staphylomate cum filo, bulbus oculi per vulnus relictum totus fuit exinanitus & collapſus, foramen corneæ tamen denique conſolidatum eſt, & cicatrice obductum, mediante quæ ſequebatur ſupuratione. Aliud exemplum Staphylomatis anguſtâ baſi gaudentis & octavo dehinc die ſpontè ſeparati poſt ligaturam, ſed remanente hinc exili fiſtulâ per quam per vices effluebat humor aqueus recenſet idem Autor. Ex his concludendum, ni fallor, curationes Staphylomatis per ligaturam rariſſimè ſolùm eſſe tentandas, & in ſolis Staphylomatibus clauſis & partialibus, in quibus nempè pars tantùm aliqua corneæ extùs propulſa protuberat: nam ubi maxima hujus pars, vel tota prominet, ita ut malum magnitudine referat, vel ſi pluribus Staphylomatibus proliferis ac racemoſis obſita eſt, unica ægro reſtat ſalutis via in operatione Chirurgicâ per ſcalpellum adhibitâ, ad quam ergò, ut ex anteà dictis apparet, in extremâ tantummodò neceſſitate confugere debet prudens ophtalmiater.

(*a*) Clar. *Guntz* exemplum affert in ſuâ diſput. de Staphylomate talis curationis per ligaturam unico filo abſque acûs tranſmiſſione à ſe factam.

STAPHYLOMA

Staphyloma per ſcalpellum operandi quinque in Autoribus deſcriptæ inveniuntur methodi. Prima à veteribus & præcipuè à *Celſo* commendata in eo conſiſtit, quod in ſummâ parte Staphylomatis ad lenticulæ magnitudinem cornea inciditur, & excedentia deinde ſuper tumorem applicantur medicamenta. *Aetius*, *Paulus Ægineta*, & inter Arabes *Jeſu Hali filius* hanc quidem methodum ſequebantur: ſed Staphylomata quæ latiorem habebant radicem acu linum trahente primò tranſuebant, deindè apicem reſecabant, & ſic ex duplici *Celſi* curatione unam faciebant. *Staphylomatis curatio per ſcalpellum. Prima methodus.*

Secunda Staphyloma operandi methodus jam olim à *Jeſu Hali* filio propoſita, & poſt eum à *Thevenino*, & *Dionyſio* celebrata ab eâ parùm differt quæ ad corneæ hydropem in hydrophtalmi curatione ab iiſdem commendatur. *Secunda methodus.*

Tertia methodus ab uno noſtræ ætatis oculario nomine *Saint Yves* inventa ſic celebratur: acu modicè curvâ & ſcindente, filumque ſericum trahente medium Staphyloma transfigitur, filoque trajecto retrahitur acus, extrema tandem fili ad ſe attrahit operator, eaque manu ſiniſtrâ contorquet. In hoc ſitu lanceolâ vel parvo ſcalpello dextrâ apprehenſo manu tumorem ultrà filum incidit, reliquumque uno forficis ictu abſcindit. In hâc operandi methodo acus & filum adhibentur non ſcopo ligandi, ſed ut magis attollatur, firmiuſque teneatur tumor: ab his verò inſtrumentis ſedulò abſtinendum, ſi vel digitis vel voſellâ ſatis apprehendi poſſit tumor, ut incidatur: Sic clavum ex oculo propendentem longitudine digitorum articuli, & ſpeciem Staphylomatis referentem, ſiniſtræ manûs binis digitis comprehendit *Heiſterus*, forficeque idoneâ haud infeliciter ad radices abſcidit. *Tertia methodus.*

Quartus operandi Staphyloma modus à *Voolhouſio* datus fuit. In hâc operatione tranſverſim primò incidit bulbum oculi cum ſcalpello falcato à cantho majori, versùs uſque corneæ circulum in cantho minori; pergit dein inciſionem ab inferiore parte uſque ad ſuperiorem, ita ut ex duabus illis inciſionibus figura crucialis reſultet. Poſt hæc non ſolùm omnes humores evacuat, ſed etiam omnes oculi tunicas atque etiam retinam aufert, cujus ne veſtigium quidem relinquit. Sanguinis ſerique fluxum hinc concitatum per aliquot plorare horas permittit, intereà verò faucium oculum tepido jugiter fovet decocto. Primâ veſperâ parùm unguenti *Quarta methodus.*

basilici nigri oculo immittit, altero die aliquas angulorum corneæ lacinias rescindit. Si vulneris crucialis angulos super se invicem implicari animadvertit, illos tunc volsellâ coordinat, & ad mutuam æqualemque disponit conjunctionem. His rectè observatis, globum hunc oculi intra octo vel decem dies repleri, cicatricemque multùm procedere contendit.

Quinta methodus.

QUINTUS denique Staphylomatis operationem faciendi modus ab eodem Autore *Voolhousio* sic celebratur: oculum in scleroticam unâ alterâ-ve lineâ (sed una plærumque sufficit) à circulo corneæ externo incipit, & sic circumcidit, ut tota atque integra cornea unà cum scleroticæ parte in circulo rescindatur, undè ablato hoc oculi anteriore quasi hæmisphærio, & resectâ uveâ, facilè sequuntur, atque etiam spontè exeunt illi adhærentes humores. Si verò non sequuntur, digitis possunt exprimi, aut subsequente supuratione, paulatim decidunt unà cum choroideâ atque retinâ, & brevi excernuntur.

Quandonam celebrari debeat singula hæc methodus.

INTER illas quinque Staphyloma operandi methodos mox à nobis descriptas unam tantùm nempè secundam ad radicalem morbi curationem celebrari non posse ideò existimamus, quia ea morbum non tollit, sed ad tempus solùm levat, siquidem tumor posteà semper adsurgere soleat. Quatuor aliæ methodi pro diversâ Staphylomatis specie convenire possunt. Sic prima methodus vel *Celsi* operatio in Staphylomatibus pellucidis, nec in summâ tumoris parte multùm erosis, & quæ omnem aciem non corruperunt feliciter adhiberi potest. Tertia methodus ab *Yvesio* data in eo tantùm Staphylomate locum habere potest quod aliquam corneæ adhuc pellucentis partem occupat, nequè vetus est. Hic de Staphylomate clauso & partiali præcipuè agitur in quo nempè pars tantùm aliqua corneæ sublata protuberat. Quartus operandi modus ad illam Staphylomatis speciem celebratur quæ μηλον sive malum audit. Quintam denique methodum in ultimo tantummodò casu adhibendam Staphylomatibus proliferis ac racemosis, vel totam corneam occupantibus, vel denique in cancrum horrendum visu degeneratis convenire evidens est. Sed illæ duæ ultimæ operationes, tanquam oculi extirpationes potiùs quàm Staphylomatis ablationes considerari debent.

Conclusio.

EX his omnibus modò allegatis concludere licet in Staphylomate, ubi ad scalpellum decurrendum est, omne Sta-

phyloma eodem curare modo non expedire, & unumquodque particularem nonnunquàm exigere operationem. Quâcumque verò methodo operatum fuerit, præter apparatûs applicationem, & ægro situm post operationem dandum, qui varius esse debet pro diverso corneæ statu vel pro oculo affecto, nonnulla sunt etiam celebratâ operatione, vigilanti ab ophtalmiatre attendenda. Sic vehementi quæ aliquandò supervenit inflammationi venæ sectione tùm in brachio tùm in pede institutâ succuritur. Supurationi, si nimia sit vel acris, opponuntur remedia leniter siccantia, tonica, balsamica, & spirituosa: si verò parcior sit, topica emollientia, cataplasmata, digestiva, collyria, supurantia sæpè sæpiùs adhibeantur. Post curationem nonnunquàm evenit corneæ fistulam remanere, cui verò remediis contra hunc morbum cognitis, quæque hic evolvere non est locus salutare affert auxilium benè edoctus Chirurgus. Quin-imo similis fistula à solâ naturâ aliquandò curatur, nec talis curationis exempla desunt. *Antonius Maître Jean* refert (*a*) fistulam corneæ post septem vel octo menses coaluisse per excrescentem ex ejus orificio parvulum carnis globulum successivè ob firmatum, & cum corneæ substantiâ deinde unitum.

(*a*) In suo libro jam citato, pag. 454.

FINIS

phyloma eodem curare modo non expedire, & unumquodque particularem nonnunquam exigere operationem. Quâcumque verò methodo operatum fuerit, præter apparatûs applicationem, & ægro situm post operationem dandum, cui varius esse debet pro diverso corneæ statu vel pro oculo affecto, nunc alia sunt etiam celebratâ operatione, vigilanti ab ophthalmiatre attendenda. Sic vehementi quæ aliquandò supervenit inflammationi venæ sectione tùm in brachio, tùm in pede instituta succurritur. Suppurationi, si nimia sit vel acris, opponuntur remedia leniter siccantia, topica, balsamica, & spirituosa: si verò parcior sit, topica emollientia, cataplasmata, digestiva, collyria, suppurantia sæpè sæpiùs adhibeantur. Post curationem nonnunquàm evenit corneæ fistulam remanere; cui verò remediis contra hunc morbum cognitis, quæque hic evolvere non est locus salutare afferre auxilium benè educatus Chirurgus. Quin-imo similis fistula à solâ naturâ aliquandò curatur, nec talis curationis exempla desunt. Maitre-Jan Author [illegible] refert (a) fistulam corneæ post [illegible] conclusisse per excrescentiam ex ejus orificio parvulam carnis globulum successivè obfirmatum, & cum corneæ substantiâ deinde unitum.

(a) In suo libro jam citato, pag. 474.

F I N I S.